

MATERIA TENTAMINIS PVBLICI,

QVOD

EX ANNI HVIVS SCHOLASTICI

PRÆLECTIONIBVS

QVOVIS

CVI LIBVERIT PERICLITANTE

SVBIBIT

IN

COLLEGIO REGIO THERESIANO

SOCIETATIS IESV

ILLVSTRISSIMVS LIBER BARO

WERNERVS DE BRABEK,

CANONICVS HILDESIENSIS ET

LVBECENSIS

PHILOSOPHIÆ IN SECVNDVM ANNVVM

AVDITOR.

DIE

MDCCLVIII.

VINDOBONÆ,

TYPIS IOANNIS THOMÆ TRATTNER, CÆS. REG. MAIEST.
AVLÆ TYPOGR. ET BIBLIOPOLÆ. 1758.

THE AMERICAN
JOURNAL OF
THE HISTORY OF
THE UNITED STATES

EX AMINI HAVE SCHOOLASTICI

PRAELECTIONIBUS

CIVILITER ET LITERATE
SUBMITTIT

COLLEGIO REGIO AMERISIANO

SOCIETATIS

ILLUSTRISSIMO VICE RECTORI

WERNERUS DE BRUNNEN

CANONICVS INDESSIS ET

LIBRARIUS

PHILOSOPHUS ET DOCTOR ANTONIUS

AD
DIE



THESES EX PHYSICA GENERALI.

Quæstiones.

uid corpus? Quod Veterum Atomistarum, quod Recentiorum præsertim Gassendi de corporibus systema? Quæ Cartesius, quæ Newtonus corporum principia statuit? Qui Elementarii dicuntur? Quid Thales Milesius, Digbæus, Empedocles, P. Honoratus Fabry senserunt? Denique quæ Principia Chemicæ statuunt?

DE GENERALIBUS CORPORUM AFFECTIONIBUS.

Affertiones.

Corpus omne extensum, impenetrabile, & figuratum est.
In minutissimas partes aqua, vel aëre, vel igne, vel alio menstruo stupendum in modum resolvi potest.

Habet suos poros, meatus, & interstitia.

Datur in quolibet corpore vis aliqua se conservandi in suo statu naturali seu quietis, seu motus.

Ex corporum cohæfione, mutuo accessu fluidorum & firmorum, præsertim vero ex operationibus chemicis evincitur dari aliquam in corporibus proprietatem ab aliis distinctam, quam seu cum Newtono *Attractionem* seu cum Mariotto *accessum mutuum*, *adhærentiam*, *motum unionis*, seu denique *gravitationem universalem* voces, solo nomine dissidebis.

DE CORPORUM GRAVITATE.

Quæstiones.

Quæ præcipuæ proprietates corporum gravium?
Quæ præcipuæ de corporum gravitate sententiæ?
Quid per pondus corporis intelligitur?

Affertiones.

Pondus corporum a gravitate distingui debet.
Pondus est proportionale Massæ.

Gravitas mutatur pro diversa a centro terræ distantia, vel accessu ad majora corpora.

Consistit itaque gravitas in lege aliqua Universali, vi cujus corpora omnia ad se invicem gravitant in ratione reciproca duplicata distantiarum, & directa simplici massarum.

DE ELASTICITATE.

Quæstiones.

Quid corpus Elasticum?
Quæ Elasticitatem augent? quæ minuunt?

Affer-

Affertiones.

Elasticitas non explicatur per impulsū fluidi cujusdam seu aërei, seu ætherei;

Neque per vires attractivas Newtoni; sed per certum gradum rigiditatis, & flexibilitatis partium multum ignis intercipientium.

DE CALORE ET FRIGORE.

Affertiones.

Calor consistit in motu partium corporis ex oscillationibus ignis orto.

Si motus fuerit adeo vehemens, ut extra sphaeram suæ activitatis minimæ corporis partes ejiciantur, erit combustio.

Frigus oritur, ubi motus partium remiserit. Hinc

Quæstiones resolventur.

Cur corpora quædam magis, minus alia incalescunt?

Cur calida expanduntur, & evaporant?

Quid machina Papiniana? qui ejus effectus?

Quid Thermometrum Drebellianum? Florentinum & Fahrenheitianum?

Quæ ratio hæc construendi, & calorem, friguse explorandi.

DE SAPORIBUS ET ODORIBUS.

Quæstiones.

In quo consistit sapor & odor prout est in ipsis Corporibus?

Quid ex parte organi requiritur?

Cur quæ placent organo uni, displicent alteri?

DE CORPORIBUS FLUIDIS.

Theoremata.

Quotcunque tubi in fundo communicant, æquali se se momento premunt.

Fluida in omnem partem premunt æqualiter.

Non obstante hac mutua pressione gravitate sua deorsum premunt.

Pressio fluidorum in fundos æstimanda est ex massa & celeritate. Hinc

Pressio in fundum est factum ex fundo in altitudinem.

Liquores homogenei tunc in tubis communicantibus quibuscunque pervenient ad æquilibrium, cum eandem in illis altitudinem obtinuerint.

Liquores heterogenei tunc æquilibrantur, cum illorum altitudines fuerint reciproce ut specificæ ipsorum gravitates. Hinc

Explicatur causa fontium salientium, aquarum se ad libellam componentium, siphonis anatomici.

DE IMMERSIONE SOLIDORUM IN FLUIDA.

Solidum fluido immersum tantum sui ponderis amittit, quantum ponderat illud fluidi volumen quod in ipsa immersione e loco suo excludit.

Corpus specificè gravius in fluido descendit solo excessu gravitatis supra fluidum æqualis voluminis.

Specificè levius non totum mergitur.

Corpus vero ejusdem gravitatis specificæ cum fluido quiescit quocunque loco immergatur. Hinc

Datur ratio, cur cadavera innatent, cur naves etiam onustæ non mergantur, quod Archimedes in Hieronis Corona Fraudem artificis detexerit.

DE ELECTRICITATE.

Unde nomen? quæ Historia Electricitatis? Quid primigenia?
quid communicata? quæ præcipua electricitatis phænomena?
Quid fulmen electricum?

Affertiones.

Electricitatis effectus repeti nequeunt ab aëre, neque a vaporibus aqueis, neque a materia magnetica, sed
A materia continua ignea exhalationes acido-sulphureas secum vehente.

Phænomena pleraque explicantur per duplicem torrentem; unum quo materia ista ex corpore electrico per fasciculos radiorum divergentium profilit, alterum quo ejus generis materia ex aëre, vicinisque corporibus affluit.

DE SONO.

Quæstiones.

Quid sonus prout in corporibus sonoris? quid prout in medio propagatus?

Quid sonus directus? quid reflexus?

Quæ soni celeritas? Unde augetur?

Quid tuba stentoria? quæ methodus optima hanc construendi?

Quid Echo? Unde Echo Monophona, Polyphona?

Item Monosyllaba & Polysyllaba?

Affertiones.

Sonus in ipsis corporibus spectatus consistit in motu tremulo partium minimarum elasticarum.

Sonus in medio spectatus est motus tremulus & oscillatorius aëris analogus corpori sonoro.

DE LUCE.

Theoremata.

Objectum post speculum planum videtur erectum ubi cathetus incidentiæ concurrat cum radio reflexo continuato.

Tanto intervallo distat imago post speculum, quanto objectum a speculo remotum est.

Si objectum radiet in speculum convexum imago videtur situ erecto, sed minor.

In speculo concavo pro diverso situ oculi jam majus, jam minus; jam situ erecto, jam inverso videbitur.

Radius perpendicularis incidens non refringitur.

Radius oblique incidens ex medio densiori in rarius refringitur a perpendiculo, ex rariore in densius ad perpendiculum.

Si Lux parallele incidat in lentem plano convexam vel convexo-concavam in foco colligitur.

Si radii parallele incendant in lentem plano concavam, vel concavo-concavam, in egressu divergent.

Problemata.

Tubum Astronomicum, Terrestrem, Newtonianum exponere.

Item Engyscopium.

Exponere vim vitrorum & speculorum causticorum.

Efficere ut objectum altius, majus, & multiplex appareat.

Invenire focum Lentium.

Assertiones.

Lux non consistit in quodam profluvio ex Sole aut aliis corporibus lucidis ad oculum transmissio, sed

In pulsibus fluidi alicujus subtilissimi, rarissimi, maxime elastici a corpore lucido acceptis, quod fluidum ætherem vocamus.

Diversa refractio habetur ab universa illa gravitate qua corpora ad se invicem accedunt.

Corpus diaphanum non habetur per rectilineam pororum dispositionem; sed

Habetur per compressibilitatem partium, earumque tali inter se nexu, ut pulsus æthereos, quos extimæ partes a radio incidente accipiunt, interioribus, atque hæ rursus ulterioribus communicare possint.

DE COLORIBUS.

Quæstiones.

Quid colores prismatici? quid colores in corporibus opacis?
Qua methodo usus Cl. Newtonus in experimentis colorum?

Affertiones.

Diversitas colorum prismaticorum consistit in diversitate pulsuum æthereorum, atque adeo in diversa radiorum refrangibilitate.

Albedo est commixtio radiorum.

Radius rubri coloris minime refringitur; maximam refractionem patitur radius violacei coloris.

Corpora opaca videntur per pulsus ab ipsis corporibus causatos.

Colores in corporibus opacis consistunt in certo numero pulsuum dato tempore in oculos incurrentium orto a certa tensione & elasticitate partium integrantium, vi cujus illæ in proprium sibi motum oscillatorium instar chordarum excitari, similesque pulsus aeri ambienti imprimere possint.

EX PHYSICA SPECIALI.

EX ASTRONOMIA.

Quæstiones.

Quod systema Tychonis? quod Copernici? Quid stellæ fixæ, quæ earum a terra distantia? An sol sit corpus igneum?

quid maculæ solares? Quid Lunares? Quæ phases Lunæ?
Quid Eclypsis solaris & Lunaribus, & quando utraque contingat?

Assertiones.

Systema Copernicanum phænomenis explicandis aptius est, quam
Tychonicum.

Cometæ sunt species Planetarum.

Caudæ cometarum sunt vapores assurgentes a capite cometæ
in partes soli oppositas.

Maculæ solares sunt fuliginis genus, quod concrefcit, &
instar nubium dissipatur.

DE AERE, AQUA ET IGNE.

Quæstiones.

Quid de aeris fluiditate, gravitate, elasticitate notandum?

Quid atmosphæra? an aer atmosphæricus, & quibus sub
conditionibus necessarius?

Quid Barometrum? quid Hygroskopium? quid Manosco-
pium? & quæ ratio horum instrumentorum.

Quæ aquæ proprietates?

Quas præcipuas mutationes subit aqua?

Quid ignis? Quid flamma? fumus?

Quod alimentum ignis? Cur flamma ascendit?

Quid Pyrometrum? Quid Phosphori?

Qua ratione ignis excitatur?

Assertiones.

Aer est gravis & elasticus.

Ascensus Barometri a sola aeris gravitate est repetendus.

Glacies habetur a sublato æquilibrio ignis interni & externi.

Quare

Non requiritur copia particularum salinarum & nitrosarum.

Fontes perennes non oriuntur a pluviis & nivibus; sed

Ori-

Originem habent ex mari ope ignium subterraneorum & destillationis.

Ignis consistit in æthere, ejus actio in motu.

De Meteoris igneis aqueis & aereis.

Quid Fulmen? Fulgur? Unde tonitru?
Quid ignes fatui? Ambulones? Ignis Lambens? Stellæ cadentes?
Unde aurora Borealis? Lumen Zodiacale?
Unde Nebula? Nubes? Ros? Pruina? Pluvia? Nix? Grando?
Quid ventus? qui præcipui memorantur?
Unde Iris? Cur circularis? Quid Halo, Parelii, & Paraselene?

EX GEOLOGIA, ET MINERALOGIA.

Assertiones.

Terra est Figuræ Elyptoidicæ ad polos depressæ.
Montes ignivomi oriuntur a fermentationibus materiæ acidæ ac sulphuræ.

Terræ motus oritur ex rarefacto aere subterraneo, aut aqueis partibus in vaporem actis.

Lapides oriuntur ex variis terreis arenis ope succorum lapidificorum inter se concretescentibus.

Metalla alia sunt perfecta, imperfecta alia.

Materia Metallorum est fluidum quoddam in vapores resolutum poros terræ, lapidumque meatus pervadens in matricibus convenientibus collectum.

De Plantis.

Quid Planta? Quæ præcipuæ partes plantæ?

Assertiones.

Plantæ omnes oriuntur ex proprio, specificoque semine.

Nutrimētum plantarum habetur per partes salinas terreas oleosas in succo aqueo præparatas, extenuatas, subactas, & cum hoc succo per universam plantarum substantiam distributas.

EX HISTORIA

UNIVERSALI A CONDITA ROMA AD EX- STINCTIONEM IMPERII OCCIDENTALIS.

Quæstiones.

Quæ institutio Reipublicæ Romanæ ?
Quid de septem Romanorum Regibus notandum ma-
xime ?

Quæ revolutio expulsi Regibus novum Romæ introduxit
regimen ? an illud liberius ? in quo consistebat tota ejus vis ?
in quo Romani libertatem constituebant, & quid de amore pa-
triæ apud illos sentiendum ?

Quæ origo discordiarum inter illos ? quid hic a Senatu pec-
catum, quomodo Tribunatus plebis introductus, quid ille ? quo-
modo crevit Tribunorum potentia, quæ media huic dilatandæ
adhibuerunt, quid de Legibus Agrariis & Licinia sentiendum ?

Quæ origo jurisprudentiæ Romanæ & quæ illius Historia
usque ad abolitum Decemviratum ?

Quid de Bellicis Romanorum institutis, tanta unde in re
militari industria ? quid Legio, ejus arma, divisio ? in his quid
boni ? quæ disciplina, quæ educatio militaris ? unde apud eos
exercitia corporis tam honorata ? ut quid fatigabatur miles ?
unde raritas morborum & transfugiorum, unde fiducia illa &
valor in milite Romano ?

Qui potuit Roma crescere incremento quod hodie pro non
possibili habetur ? unde fiebat ut Ordo Militaris tantus esse
posset sine everfione Reipublicæ ? Quid boni hunc in finem ha-
bebat æqualis agrorum divisio ?

Quid de Pyrrho ? cur profuit magis quam obfuerit Romæ ?
Quid de Gallis, quæ variæ eorum expeditiones ?

Quid de primo bello Punico, quæ ejus vera, quæ prætensa
causa, quomodo tam subito Romæ potentia crevit maritima ? id-

cur

cur nobis apparet impossibile ? Qui Heroes primo Punico bello claruerunt maxime, quibus facinoribus ?

Quæ causa fuit Punici belli secundi, cur Carthaginienſes invaſerant Hiſpaniam ? Quid nocuit Romæ tarditas in Saguntho liberanda ? Quæ clarioreſ expeditioneſ Annibalſ, quiſ Romæ animuſ in cladibuſ ſuiſ.

Quid iudicandum de Cunctatore Fabio ? quiſ genius Ducuſ hoc qui bello claruerunt ? cur renuit Roma captivoſ redimere ? Cur profugoſ ex prælio Cannenſi punivit & cur Conſulem cladis autorem honoravit ? unde Annibal poſt tantuſ victoriuſ faciliuſ vinci cœpit ? Quid de Scipione & Marcello ? cur expeditio in Africam ſuſcepta ?

An diverſitaſ ſucceſſuſ utriuſque partiſ non ſit repetenda ex diverſitate conſtitutioniſ civilis in utraque Republica ? unde ergo Carthaginienſe regimen Romano debiliuſ ? Quiſ utrique in bello finiſ ? Quæ in exercitibuſ diſparitaſ, quæ in ipſo utriuſque urbiſ ſitu diverſitaſ ? unde Carthaginiſ imminuta opulentia, quid Carthaginem perdidit, & Romam ſalvavit ? Quomodo ipſa pax Carthagini nocuit ?

Quæ tum facieſ orbis & Græciæ potiſſimuſ conſtitutio ? unde bella Macedonica ? in quo peccarunt Græci, unde ii qui Romæ fæderati erant ab ipſa paulo poſt everſi ?

Quæ facieſ Syriæ, quæ Ægypti quæ utriuſque regni vires & qua parte laborabant ? Quomodo Romani eoſ reges ſenſim exuere potentia ? Quiſ genius Antiochi, cur in Romanos arma cepit, quomodo ille, quomodo Perſeuſ victi ?

Quibuſ artibuſ Romani ſubjugabant populos ? cur Romani præmia & pœnaſ in belloruſ exitu decernebant ? Quandonam induciaſ dabant ? Quare injuriaſ ſibi illataſ ſubinde diſſimularunt, unde tantuſ eoruſ per orbem metuſ ? cur legati eoruſ tam arroganter loquebantur ; cur in pace ineunda ſemper victuſ cogebant, exercituſ minuere, tributa pendere, obſideſ dare ? cur vetabant bella cum ſociiſ & quotupliciſ generiſ habuere ſocioſ ?

Quomodo sibi solis reservabant arma ? cur Asiaticis vetabant conscribere militem Europeum ? Quomodo potentiores devincebant Reges, quomodo cum Rebus publicis & liberis agebant populis ? Quæ illorum perfidia in interpretatione fæderum ?

Quid de motibus Grachorum ? Quid de Mario ? quomodo Jugurthino bello admotus, qui se in consulatu continuavit, quomodo sexto consulatu dejectus fuit ?

Quid de bello Sociali ? Quæ ejus origo ? an preces sociorum justæ ? Quæ Romæ sub belli initium fortuna ? Quomodo dissoluta sociorum unio quo successu ?

Quæ corruptio Romanorum ? Quomodo Epicureismus illis nocuit ? Quomodo Religio cum statu civili peculiariter apud eos connexa erat ? quo sensu Divitiæ & paupertas æqualiter illis nocuerunt ? Quare militaris virtus, quæ illis remansit sola, maxime tum nocuit ?

Qui terminati sunt motus Syllæ & Marii ? Quare triumphus Syllæ libertatem reddiderunt impossibilem ? Quid Proscriptiones Syllæ, mali intulerunt regimini ? Quomodo sensim Romani deposuerunt odium Tyrannidis.

Quæ origo magnitudinis in Pompeio ? Qui genii Crassi, Cæsaris, Pompeii, Ciceronis, Catonis, Catilinæ ? Quibus viis Cæsar crevit ?

Quomodo Triumviratum instituit ? Quos habuit hic successus ?

Quæ hic diverforum molimina ?

Quomodo ad bellum civile devenerunt Cæsar & Pompeius ?

Quid hic a Senatu peccatum ? Quid perdidit Pompeium ?

Quid peccaverunt interfecto Cæsare Conjurati, quid Senatus ?

Quomodo se tunc gesserunt Cicero, Antonius, Octavius Lepidus ?

Quid ad obtinendum imperium profuit Augusto maxime ?

Quomodo ipsa illi profuerunt vitia ? cur uno prælio lis inter illum & Antonium dirempta ? Quare Augustus mores publicos frænavit quos Pompeius alique qui ad Imperium aspiraverant,

rant, corruperant? unde clemens subito factus, qui antea tam crudelis? Quale regimen introduxit? cur placuit ejus regimen iis quibus regimen Julii Cæsaris displicuerat? quare rariora sub eo facta sunt bella? cur Civitatis & Libertatis donandæ tam parcus? quomodo rem militarem ordinavit? cur artes & scientias coluit?

Quid in decem primis Cæsaribus seu quo ad genium seu quo ad characteres illorum notandum maxime? quæ diversitas inter genium Tiberii & Augusti? unde adulatio senatus? Quid mali fecit Tiberius auferendo jus nominandi Magistratus Populo? Caligula unde tam malus Dominus qui servus tam bonus? cur abolevit legem Majestatis & quæ illa? unde tanta crudelitas in homine Romano? unde ferocia in genio Romani populi? unde placebant Romanis mali Imperatores? Quid Claudius circa judicia immutavit? unde absoluta adeo Cæsarum potestas? quæ causa quod ita viluerit populus? Quod malum ex invalescente militia? quid Nero circa Congiarium? quid de Vespasiano, Tito, Domitiano?

Quæ causæ deficientis Sæculo secundo Imperii? cur Trajani de Parthis victoriæ tam celebres? Quid sub Hadriano? Quid Antoninos tam bonos reddidit? unde progressus Stoicæ tum Disciplinæ? Quid mali fecit venditio Imperii post Commodum? quis Severus? quare tam facile erat Romæ haberi Principem Tyrannum? quid nocuerunt imperio ejus proscriptiones? unde enervatæ legiones? unde exteri ad thronum pervenerunt? quid Caracalla egit de thesauris paternis? Quod maximum ex eo malum? unde tot Cæsares interfecti? Qualis tum Imperii forma?

Quis Diocletiani & Constantini character? cur ille duos Imperatores & duos Cæsares esse voluit? cur hic Prætorii Præfectos multiplicavit & militiæ magistros instituit, quo successu? quæ tum Aulæ Cæsareæ facies esse cœpit? Quando primum divisa imperia & quid de hoc censendum? Quid de exstructa Constantinopoli? quomodo per id nocitum Italiæ & exhaustus opibus Occidens? quid de distributione Frumenti Constantinopoli? quid nocuit Constantinus Militiæ? unde tanta incertitudo in gestis & fama Cæsarum?

Quæ

Quæ sub Imperatoribus invaluerunt in Regendo sententiæ ab antiquis alienæ ? Quid Valentinianus ? Quomodo Gothi irrupere trans Danubium ? Quid cum illis ? cur auro placati & quam male : quæ militia tum Romana, cur ad hanc admissi Barbari, quo successu ? unde tum cœpit equitatus in exercitibus prævalere ? quid de exactionibus ?

Quid Barbaros reddidit Imperio tam metuendos ! Quid de Attila, quare cum potuerit, non subegit totum Imperium ? hoc mortuo cur Romani non invaserunt Hunnos ? cur Barbari ab initio terras non petivere.

Quid Occidentis evertit Imperium, quare Barbari incubuere Occidenti potius quam Orienti ? Quare sibi non astiterunt mutuo Imperia ? unde Occidens maritimis viribus erat destitutus ? Quare Barbaris terræ datæ & quæ ? an bene spesne erat eos in nomen Romanum mutandos ? quid hanc spem evertit ? Quæ Imperio Occidentali extincto Europæ facies.

Totam hanc Historiæ Universalis partem redigimus ad sequentes Disputationi subjectas

Assertiones.

Romani quantumvis crebra feliciaque gefferint bella, iusto tamen titulo pugnarunt numquam : fortunataque sunt scelera, quæ in memorabilibus quas retulere victoriis, admiramur.

Quare si territorium Romæ adiacens a Numitore concessum excipias, reliqua omnia quæ vastissimæ illorum acceperunt Reipublicæ, usurpationibus & violentiis fuere comparata.

Intestinæ, queis Roma agitata semper fuit, turbæ, libertatis illius adhuc vigentis erant indicium : Reipublicæ ergo erant utiles, motusque hi civiles illam conservabant ; nec nisi cum magnitudo Imperii turbis substituisset bella, corruiere cœpit.

Cum Respublica mutata est, mutari inevitabiliter debuit ; quod leges & instituta quibus hætenus steterat, Reipublicæ non incongrua tantum, sed & noxia facta fuissent ; atque adeo conatus eorum qui libertatem vel conservare, vel restituere volebant, quantumvis bono fierent intuitu, erant imprudentes.

Impe-

Imperium Romanum semper Hæreditarium fuit, vel saltem ad Principis regnantis libitum usque ad extinctionem illius in Occidente.

Veritas & Divinitas fidei Christianæ ex Historica illius propagatione demonstratur.

EX JURE NATURÆ, & PHILOSOPHIA MORALI.

Quæstiones.

Quid jus naturæ affirmativum & negativum & quod inter hæc quo ad obligandi modum discrimen?

Quæ juris proprietates?

Quæ morum honestatisque regula?

Quæ conditiones ad actus honestatem requisitæ.

Quæ ignorantia eam turbet? & cur id non faciat aut metus aut vis?

Quid dictamen conscientiæ & cur hoc etiam si sit erroneum sequendum sit?

Quomodo in dubiis formetur dictamen, quid requiratur ut opinio vere sit probabilis, cur præstet inter probabiles adhærere probabiliori?

Quid officium perfectum & imperfectum?

Unde officia erga Deum deducuntur?

Quæ erga se ipsum officia & quibus comprehenduntur regulis?

Quæ sui suarumque rerum præscripta cura?

Quæ erga alios officia, quis in his ordo?

Quid mendacium, & cur semper illicitum?

Quamdiu juramentum promissorium obligat?

Quid communio negativa & positiva bonorum?

Cuiusmodi jus maris & indivisarum rerum reliquit Dominium?

Quæ sit causa cur ad restitutionem injurians obligetur & quando?

Quid Philosophia moralis, quæ partes, quod singularum objectum, quis finis?

Quæ sint maxima felicitatis publicæ instrumenta?

Quomodo Religio censetur primum Reipublicæ fundamentum?

Quam graviter noceat patriæ Superstitio?

Cur mutationes in Religione externa omnes vitandæ?

Cur disputationes suppressendæ? Cur tamen Eccl̃esie Hera-
clii & Typus Constantis reprobata sunt?

An in Hæreticos sæviatur iuste? cur tamen præstet mode-
ratione cum iis uti?

Quid de Ærario?

An Thesauri in ærario si conserventur nimii, id non sæpe
Reipublicæ obsit?

Quid de fontibus ærarii, vectigalibus præsertim & tributis,
& quæ circa hæc observationes civiles?

Quomodo iustitia est Patriæ necessaria?

Quantum commutativa prodest ad veram potentiam?

Quæ in iustitia distributiva & vindicativa observanda?

Quæ sunt media quibus Reipublicæ crescit potentia.

Quare multitudo populi est certissimum potentiæ indicium,
ut ex omnibus Historiis colligitur?

Quomodo deprehenditur huic non officere vel restituta ab
Evangelio Monogamia, vel introductus ab Ecclesia Cælibatus sacer?

Qui sunt varii in Republica civium ordines?

Qui augent tantum & qui conservant Patriam, quare de pri-
mis multiplicandis non autem secundis est laborandum?

Cur Agricolaë sunt præstantissima civium portio, & quid il-
lis debetur?

Quid de opificibus & mercatoribus notandum, & quid vere
commercium dicitur?

Quid de Legibus, Magistratibus, Militia? quæ debet hodie esse
proportio militum ad cives?

Quis bonus vir? quis bonus civis?

Quæ subditorum in Principem officia?

Unde Nobilitatis origo? quæ ejus in Patriam & Principem officia?

Quid magnificentia, quid luxus, quid prodigalitas, quid li-
beralitas?

Quid amicitia? quæ in illa cautelæ?

Affertiones.

Finis hominis ultimus Deus est, in cujus per actus sibi
propriis possessione suprema illius felicitas sita est; ast cum
hanc quamdiu corpori unitus vivit perfecte obtinere nequeat,
sum-

summa quam in hoc mundo obtinere potest, consistit Beatitudo in illa animi quiete quam sola illi virtus parit.

Jus naturæ est Dei voluntas, qua absoluta, & immutabilia præscribit media, quibus ad finem suum homo dirigitur.

Ad finem hunc si actiones exploret homo, infallibiliter dirigitur in cognitione juris naturæ, cujus proin cognoscendi principium est Deus, ut infinite perfectus. *Socialitatis appetitus* quod vult *Pufendorff*; *felicitas humana*, quod *Wolffius*; amor Dei sui ipsius & proximi, quod *Heineccius*; *finis creaturarum medii*, quod Recentiores alii volunt; certitudinem talem parere nunquam possunt.

Inter officia, quæ Deo debet homo, jus naturæ Religionem quoque externam præscribit: & frustra cum *Thomasio* (juris pr. Div. l. 2. c. 1.) id negante, quæritur dispar inter externam & quæ præscribitur, internam Religionem ratio.

Quare contra *Bailium* (*in opere de Cometa*) adstruimus quod Politica etiam societas ex Atheis formari non possit; Deistas etiam, qui cum Deo nostrum orbem hominumque mores curæ non esse asserunt, alio nomine Athei veri sunt, a conditione civium excludimus, utpote cum, quod tamen unicum se ambire jactant, veri honesti homines esse nequeant.

Sui ipsius violentam occisionem omni casu proscribit natura.

Fama sua cuilibet cordi ut sit, natura dicat; at eam alterius cæde conservare, omnino est illicitum.

Tantum quilibet jus in vitæ suæ conservationem accepit, ut violentum invasorem etiam illata morte repellere queat; si tamen concessa facultate usus non fuerit, legem naturæ non transgreditur.

Omnia quæ proximo debentur officia, his continentur capitibus: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; omnia vero quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.

Natura quidem a mundi exordio in communione, reliquerat externa corporis bona, non tamen contra eam introducta est bonorum divisio.

Tantum abest legitimam magistratui subjectionem naturæ repugnare ut status potius civilis illi maxime sit conformis, ad

quem hominem ipsa natura formasse videtur: Quare societatum originem qualem Hobbesius, Carneadem secutus, adstruit, hominesque aliquando pecorum instar vagatos ut juris consulti quidam antiqui adinvenierunt, negamus, societatesque ab initio conditi orbis semper fuisse adstruimus, deferentes potius Historicae narrationi quam scriptura proponit, quam futilibus Recentiorum quorundam rationibus, quorum opinio, non Religioni tantum, sed & civili tranquillitati opponitur.

Hereditario jure firmata Monarchia regimen est humanæ felicitati quam maxime aptum.

Obedientia Principi debita, tot nobis præscripta est titulis, nullo ut umquam casu ab hac sit exemptio, nisi ubi Deo manifeste contrarium præciperetur: atque tum quidem nihil nisi passive inobedire licet: neque hoc vinculo cives ab humana potestate liberari queunt, neque hoc officium limitare ipsi valent, cum potestas regimini a solo Deo collata sit: adversarii qui hic nos tamquam Despotismi fautores insimulant, pro licentia populari qua inter homines pejus nihil est, se pugnare non advertunt.

Bonus vir a bono cive nihil differt, vitam ergo qui patriæ non ducit utilem, non otiosus tantum sed & malus est.

Post Deum patriæ Principisque amor reliquis rebus omnibus præferendus est: huic officio cedunt reliqua humana omnia: sacrilegus est, qui patriæ suæ iniquus est.

Cum e Republica sit Thesaurus publicos opulentos esse, manifestum est civem quemlibet teneri bona sua in eos conferre: Patriæ ergo injurius est, qui dissipatione quacumque se huic auxilio ineptum reddit.

Militaris vita, Gloriæ seges & patriæ fulcrum convenientissima est homini natalibus illustri.

Scientiæ vitæ nobilis ornamentum sunt, nec hæ, ut voluit J. J. Roussau (in dissert. Academ. Divione coronata 1754.) corruptelæ morum contulere quidpiam.

In divitiis conquirendis primam ponere curam ingenuum dedecet; ast moderate parandis & conservandis vacare, est de patria bene mereri.

Cum primus Nobilitatis finis sit Patriæ Principique assistere, non apparet, quomodo huic adversaretur, vel nobilitate excideret, qui commercii incumberet.